

III Latin Sight Recitation

Ac vidē, quam ista tuī latrōciniī tēla contempserim. Iactam et in mīssam ā tē nefāriam in mē iniūriam semper duxī, pervēnisse ad mē numquam putāvī, nisi forte, cum pariētēs disturbābās aut cum tectīs scelerātās facēs inferēbās, meōrum aliquid ruere aut dēflagrāre arbitrābāre. Nihil neque meum est neque quōiusquam, quod auferri, quod ēripī, quod āmittī potest. Sī mihi ēripuissēs dīvīnam animī meī conscientiam meīs cūrīs, vigiliīs, consiliīs stāre tē invītissimō rem pūblicam, sī huius aeternī beneficiī inmortalē memoriam dēlēvissēs, multō etiam magis, sī illam mentem, unde haec consilia mānārunt, mihi ēripuissēs, tum ego accēpisse mē confītērer iniūriam. Sed sī haec nec fēcistī nec facere potuistī, reditum mihi glōriōsum iniūria tua dēdit, non exitum calamitōsum.

Cicero, Paradoxa Stoicorum IV (28-29)